Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Y1-1152

LN 311
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

ENARRATIO PSALMI, XX. EXAVDI-at te Deus &c. In tres Concio-nes digeſta, pro miniſtris ver-bi. In diebus precationum 14. 15. 16. Auguſti.

ſcripta

A

IOHANNE ALBERTIO.



HAFNIÆ,
Excudebat Laurentius
Benedict.
1564.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

CONCIO PRIMÆ Diei.

TEXTVS.

Pſalm: 20.

1. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.
2. Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te.
3. Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue faciat.
4. Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum impleat.

EXORDIVM.

QVia chariſsimi Communis neceſſitas efflagitat, vt in hiſce grauibus motibus & periculis, quæ ante oculos noſtros quotidie obuerſantur, aſsiduis & ardentibus precibus ad patrem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

omnis miſericordiæ & conſolationis confugiamus, quò ipſe, qui legitima imperia, ineffabili ſua ſapientia conſtituit, & potentia ſua conſeruat, velit etiam hiſce Regnis tranquillam gubernationem concedere, Conſilia & actiones clementiſsimi Regis noſtri ſalutares reddere, Succeſsum in publicis negocijs tribuere, furores Hoſtium reprimere, & hoſce bellorum motus ad lætum exitum perducere. Aptè hiſce tribus precationum diebus Pſalmus hic 20. Eccleſiæ proponi poteſt, vt ex hac precatione populi Deï, pro Rege Dauide, intelligamus fœlicitatem cõſiliorum & euentuum non ex humanis præſidijs, ſed ex ipſo Deo pendere: Qui etiã vbi oculis humanis inextricabilia apparent negocia, mirabili modo iuuat: ac ſimul diſcamus turrim fortiſsimam eſſe Nomẽ Domini, ad quod

confugientes, auxiliũ & liberationem è præſentibus malis verè experiemur.

SVMMA.

Precatur autem in hoc pſalmo Eccleſia pro Magiſtratu, ſiue Rege, iam ad conflictum aduerſus hoſtes profecturo, vt Dominus ipſius votis reſpondeat: ac ſimul ſpe diuinæ protectionis ſeſe erigit, omniq; humanarum virium fiducia ſepoſita, in ſolo Deo acquieſcit. Hæc igitur precandi forma, quã indubiè Spiritus ſanctus omnibus fidelibus propoſuit, à nobis q̃ diligentiſsimè obſeruetur, vt quotidiè publici ſtatus memores, eius gubernationem unà cum gubernatoribus omnibus Deo commendemus.

PARTITIO.

Hac concione quatuor tantum primos verſus tractabimus, è quibus hoſce duos locos euoluamus.

1. Quod

1. Quod Magiſtratus & omnium ſubditorum ſit, orare pro fœlici gubernatione, & Quarè.

2. Quid in oratione pro Rege potiſsimùm nos petere oporteat.

DE PRIMO.

Cum Populus orat vt Regem Dominus exaudiat in die tribulationis, Magiſtratus ſui officij admonetur, & oratio Eccleſiæ pro Magiſtratu commendatur. Non enim ſatis eſt ſubditos orare, Sed Magiſtratus etiam ſuas preces ſubditorum orationibus coniungat, vt concordibus animis et conſentientibus votis Dei auxilium inuocetur. Coniunctæ enim principum & ſubditorum orationes, ad conſeruandum tranquillum imperij & gubernationis ſtatum, ſunt efficaciſsimæ.

Obſeruet ergo hîc pius Magiſtratus. 1. Regimen publici ſtatus, quod

 gerit

gerit, multis moleſtijs, difficultatibus, laboribus & periculis, plenum eſſe. Habet enim hic ordo ſua certamina, quemadmodum & reliquæ ordinationes à Deo inſtitutæ, Eccleſiaſtica, Oeconomica &c. Vnde ad ferendas ærumnas ſeſe comparet, nec animnm deſpondeat, vbi vel bellis vel alijs periculis infeſtatur.

2. Quia communia ſunt pericula, quæ rempub: concernunt, etiam ſubditorum calamitatibus moueri debet, omnibuſq; viribus anniti, vt malis præſentibus occurratur, & politiæ ſtatus incolumis conſeruetur.

3. Fugiat omnia illicita media, quibus à DEO abduci poteſt, & humanis viribus aut præſidijs non confidat, non conſulat Pythonem, vt Saul 1. Reg: 28. non deflectat vt fiduciā in confœderationibus & robore

externo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

externo collocet, vt Aſa. 2. Para: 16.

4. *Firmiſſimum præſidium exemplo Dauidis, Ioſaphat, Ezechiæ, & aliorum piorum principum ſtatuat eſſe defenſionem & protectionem Dei, quam veris gemitibus imploret.*

5. *Subditos ad orandum cohortetur, vt* σύμμαχον *habeat* DEVM, *cui idem eſt in paucis vel pluribus auxiliari.*

6. *Ante oculos ſibi conſtituat hunc ſuarum precum finem, vt acquiſita pace, Religionis ſtudia propagare, ac ſubditos iure & legibus ad pietatem honeſtatemq; ſeruandam flectere poſſit. &c.*

Hæc cùm REGIS *noſtri ſint ſtudia, ſciamus ad nos atq; etiam ad totius Eccleſiæ curam ſpectare, vt Principis vota, quantum fieri poſſit, prouehantur. Quarè*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

etiam hanc formã à Spiritu Dei monſtratam, in precando ſequamur. Quæ primò commendat nobis pium affectum erga Magiſtratum, ſub cuius tutela & protectione viuimus, ut, videlicet, ardentibus gemitibus & toto pectore petamus ipſius noſtraq; vota in DIE TRIBVLATIONIS ad communem ſalutem exaudiri.

Deinde oſtendit propugnaculũ firmius nullum eſſe NOMINE DEI IACOB, 1: potentia et defenſione Dei, qui patribus gratiam & virtutem ſuã patefecit, & cuius Nomen iuxta promiſſiones in vera Eccleſia inuocatur.

Poſtremò docet eam eſſe Dei potentiam, vt etiam mirabili modo preter omnium hominum opinionem vel expectationem iuuare poſſit, vnde haudquaq̃ deſperemus, ſi ad nutum ſtatim non omnia obtingant, cum Deus ipſe,

ipſe, vbi auxilium nullum ſpectatur, mittere poßit de Sancto &c.

Habemus ergò, orandum eße pro Magiſtratu, habemus vnde petendum ſit in rebus dubijs auxiliū: iam CAVSAS quare pro Magiſtratu orandum ſit altius inueſtigemus.

PRIMA cauſa eſt, vt ordinem Dei rectè agnoſcamus, ac diſcernamus imperia legitimè conſtituta, à latrocinijs. Eſt enim gubernatio politica, ordinatio diuina, & res Deo placens: atq; eam ob rem vult Deus fieri precationes pro Magiſtratu. 1. Eſdræ 6. Ieremiæ, 29. Baruch 1. 1. Timoth: 2.

SECVNDA cauſa, vt ſciamus imperia caſu conſilijs & artibus humanis non conſeruari, ſed à Deo, qui author eſt politici ordinis. Non enim par eſt humana cura aut vigilantia tanto muneri. Pſal: 127. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem. &c

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

TERTIA cauſa eſt, ipſa negociorũ & periculorum moles, quam in gubernatione boni Principes experiuntur, & hic diſertè nominat Pſalmus DIEM TRIBVLATIONIS, *vt oſtendat hanc ordinationem, ab ingentibus difficultatibus & ærumnis immunem non eſſe.*

QVARTA cauſa eſt, vt pijs precationibus reſiſtamus inſidijs Sathanæ, qui vt delectatur deſtructione ordinationis Dei, ita multa indies excogitat, quibus iuſtam rerumpublicarum adminiſtrationem turbare poſsit.

QVINTA cauſa, vt in gubernando infirmitatem quæ in hac natura hæret, Deus ipſe corrigat, & ſalutaria conſilia fœliceſq; euentus, ad nominis ſui Gloriam & conſeruationem publici ſtatus attribuat.

SEXTA cauſa, vt intelligamus

com-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

communem vtilitatem per magiſtratum ſtabiliri, dum ab iniuſta vi boni eripiuntur, puniuntur ſcelerati, tolluntur ſcandala & confuſiones, propagatur Pietas, Æquitas, Honeſtas. &c.

SEPTIMA cauſa, vt gratiam aliquam noſtris nutricijs referamus, & debitum honorem exhibeamus ijs, quibus ipſe Deus appellationem ſui nominis communicat. Pſal. 82. Ego dixi Dij eſtis. Sic pro Rege Abimelec precatur Abraham &c.

OCTAVA cauſa, vt pœnam, quæ contemptoribus diuini ordinis iuſto Dei iudicio infligi ſolet, euitemus &c.

DE SECVNDO.

Porrò quid potiſſimùm oratio noſtra petat, in hac precatione

oſten-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

oſtēditur. Petit enim Populus Dei, vt MEMOR SIT SACRIFICII REGIS, ET HOLOCAVSTVM EIVS PINGVE FACIAT, hoc eſt, vt Deus ipſe iuxta promiſsiones reipſa & ſenſu oſtendat, gratas ſibi fuiſse Regis preces & oblationes. Reſpicit enim veterum conſuetudinem, qui precationibus ſuis ſacrificia & holocauſta coniunxerunt. Ac deinde precatur, vt TRIBVAT REGI SECVNDVM COR SVVM, ET OMNE CONSILIVM EIVS IMPLEAT. Vnde nos diſcamus.

PRIMO, Sacrificia hæc eſse noſtrorum principum, vt Deum veris cultibus celebrent, ipſius voluntati obediant, pro ſalute ſua & ſubditorũ aſsiduè Deum inuocent, & officia vocationis magna cura & tolerantia exequantur. Hoc cum faciunt, precetur

Ec-

Eccleſia vt exaudiantur à Deo, qui inuocantibus & in fide gerentibus officia vocationis, ſe adfuturum promiſit.

SECVNDO diſcamus, cor Magiſtratus, & conſilia ad voluntatem Dei conformari debere, ita vt ſepoſitis affectibus, auaritia, dominandi libidine &c. tantum officio ſibi cõmiſſo ſit intentus, ad quærendam publici ſtatus incolumitatẽ. Conſilia enim contra vocationem & verbum Dei diſperdit Dominus. Eſaiæ, 8. Inite conſilium & diſsipabitur.

Orandum itaq; eſt, vt cor Magiſtratus ſit rectum, vt Deum toto corde quærat, vt ſalutaria ſint conſilia, vt Deus tribuat ſucceſsum in imperijs, Salutarem gubernationem, victoriam in bello, adeoq; omnia conſilia & actiones ad veros fines referat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Cum itaq; Regis noſtri conatus ſit & conſilium, vt acquiſita honeſta pace, ab hoſtium metu tuti viuamus, vigeant doctrinæ ſtudia, ſeruetur eccleſia, & mores regantur honeſta diſciplina, coniunctis votis cum populo Dei precemur, vt ipſius cor & omne conſilium adimpleat Dominus ad nominis ſui gloriam, & Eccleſiæ ædificationem &c.

AMEN.

CONCIO SECVNDÆ
Diei.

TEXTVS.

5. Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri uexillum erigemus, impleat Dominus omnes petitiones tuas.

6. Nunc cognoui quoniam ſal-
uum fecit Deus Chriſtum ſu-
um, exaudiet illum de cœlo ſan-
cto ſuo, Dextra eius ſaluat po-
tenter.

EXORDIVM.

AVDIuimus ſuperiore Concione quodnam ſit tutiſsimum aſylum in die tribulationis, & quacunque neceſsitate: Nimirum, vt Magiſtratus cum ſubditis ad preces confugiat, & Nomen Dei Iacob protectionem ſibi conſtituat: Audiuimus quarè pro Magiſtratu aſsiduè orare oporteat, & quid in noſtris precibus pro Rege potiſsimum ſpectare nos deceat. Nunc altera pars Pſalmi ſequitur, in qua Eccleſia certò perſuaſa DEVM adiutorem & propugnatorem fore, veluti car-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

carmen Triumphale canit, & ſpem de futura victoria concipit, qua parta ob ſalutem Regis lætabitur, precationem etiam repetit, & gratias agit Deo pro hac defenſione & aſsiſtentia.

LOCI DVO.

1. Quis fructus ex fideli oratione pro Magiſtratu prouenire ſolet.

2. Quòd cum ſentimus orationis noſtræ fructum, non negligenda ſit precatio & gratiarum actio.

DE PRIMO.

Cum in hoc verſu Lætitiam ſeu Gloriationem exprimit populus Dei, oſtendit orationem ſuam, pro Magiſtratu in vera fide factã, non fore inane murmur, Sed verè efficacem, ad confirmationem & conſolationem internam in medijs ærumnis, quàm ad ſucceſsum & lætum exitum omnium præſentium periculorum & certaminum.

Quan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Quantum enim ad conſolationem internam attinet, videmus:

1. Quòd oratione piorum hominum, quæ ſine hypocriſi in vera fide ad Deum funditur, alatur & confirmetur fiducia & ſpes infallibilis. Vnde conſolatio exurgit tanq̃ ex præſenti exhibitione eius rei quam petimus. Vbi enim πληροφορία fidei eſt, non magis dubitat homo de diuina protectione & beneficijs Dei, ac ſi nunc ea oculis aſpiceret & manibus contrectaret. Atq; hinc eſt dulciſſima illa exhortatio Ioſaphat, 2. Paralip: 20. Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis &c.

Hic obſerua Antitheſin. Quòd quidam peracta oratione ſpem ac conſolationem non percipiunt, fit quia ſine fide orant, quia hypocriſin animo fouent, quia non veré tanguntur ſalute Regis, Regni & Subditorum,

quia orationem remittunt, non ſtatim voti compotes facti. &c.

2. Quod hominis animus ſic confirmatus, præſidijs humanis minimè nitatur. Nec quamuis multitudinem aut inſtructas copias aſpiciat, fiduciam aut ſpem victoriæ in ijs collocet: Sed IN NOMINE DEI, & ſub ipſius inuocatione vexillum erigat. Pſal: 44. Non in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me.

3. Quòd animus ſpe & fiducia defenſionis diuinæ erectus, non ſolum dubitationem omnem excludit, verum etiam pericula præſentia ob publicam vtilitatem intrepidè aggreditur. Vt enim heſitatio cunctanter ſe gerit, ita fiducia animum accendit, & ad magnas res gerendas intrepidum reddit.

4. Quod ceſſantibus etiam præſi-

dijs

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

dijs humanis, conſolatio & ſpes animo concepta non intermoriatur, ſed promiſſione auxilij diuini in grauiſſimis periculis ſe ſuſtentet, ne in aduerſitatibus ſuccumbat.

5. Quòd tametſi nonnunq̃ differatur auxilium, ſucceſſus, & victoria: non tamen deficit fides, Sed immota quadam conſtantia patienter manum DEI expectat, quem nouit fallere non poſſe.

Quantum vero ad ſucceſſum in rebus gerendis attinet, fidelis orationis magna eſt vis & efficacia. Deus enim ad preces piorum mirabili modo furores hoſtium reprimit, eorumq; conſilia diſperdit, tribuit pio Magiſtratui victoriam, ipſumq; multis donis ornat, Pietate, Sapientia, Iuſtitia, Clementia, Amplitudine. Populum vero ſiue ſubditos, lætitia ex ſalute

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Regis perfundit, ornat pace, tran-
quillitate, vt ab hoſtium metu immu-
nes Deum celebrent, pietatemq́ et ho-
neſtatem colant.

VNDE ADMONEN-
tur ſubditi.

1. Vt ſuam ſalutem è ſalute regis æſtiment.
2. Vt Regis conatus pro republica, precibus, ſubſidijs & quibuſcũq́ poßint modis promoueant.
3. Vt in ipſius ſalute et ſucceßibus toto pectore lætentur in Domino. Beatus populus qui ſcit iubilationem. Pſal: 89.
4. Ne impietate ſua aut ſceleribus hanc lætitiam diuino beneficio acquiſitam contaminent vel diſturbent. &c.

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Sed quæri hîc poteſt, Quare & pij Magiſtratus interdum optatis ſucceſſibus non potiantur, diuq; bellis & periculis diuexentur.

Reſpondeo. Conſilium Dei conſiderandum eſt, qui interdum pios premi & tentari ſinit, idq;.

1. Ne ſucceſſu elati in ſuperbiam aut ſecuritatem ruant.
2. Ne humanis viribus & ſapientiæ victorias aſcribant.
3. Vt creſcat in ipſis, fides, inuocatio, patientia.
4. Vt in magnis liberationibus, Dei gloriam & potentiam magis celebrent.

DE SECVNDO.

Poſtq̃ populus fidei ſuæ conſtantiam & ſpem futuræ læticiæ expreſſit, gratiarum actionẽ precationi miſcet.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Repetit enim votum, & commendat Dominum à veritate promiſsionum ſuarum, à diuina ipſius virtute & beneuolentia qua Dauidem ſuum complexus eſt, quem hìc Chriſtum nominat. Oſtendit autem & hæc gratulatio πληροφορίαν fidei, quam operatur Spiritus Sanctus in cordibus hominum, cum verè & aſsiduè Deum inuocant.

DOCTRINÆ HINC nobis petantur.

PRIMA. Tametſi ſciamus Deum verè nos liberaturum, aut alioquin reipſa experti ſumus ipſius protectionem & præſentiam, non tamen à precando deſiſtamus: Sed aſsidua & flagranti inuocatione vtamur, etiam cum exitus negotiorum lætus ſpectatur. Idq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

1. *Quia ea eſt infirmitas naturæ, vt mentes humanæ in ſucceſſu ſæpe deflectant ad obliuionem beneficiorum Dei, ad ſecuritatem, nonnunq̃ ad diffidentiam & dubitationem. Quare pijs precationibus excitandæ ſunt, ipſiſq; excutienda eſt ignauia, & fulcienda eſt fiducia in promiſſiones Dei.*

2. *Quia Sathan non deſinit infinita impedimenta obijcere, quibus à Deo abduci poſſumus, & in rerum ſucceſſu temerè contra Deum & vocationem aliquid admittere.*

3. *Quia vndiq; cingimur varijs periculis in ſingulis vitæ partibus, quam diu in hoc mundo peregrinamur: Nec vera eſt vlla læticia, niſi quæ in Domino fundatur, & ſub ipſius inuocatione vſurpatur.*

SECVNDA. Obſeruemus perpetuam eſſe debere in Eccleſia gratiarum actionem, pro liberatione, victoria alijsq; beneficijs diuinitus præſtitis: Vt extet teſtimonium exauditionis, & certitudinis in fide & oratione: vtq; agnoſcamus in omnibus actionibus & euentibus manum Dei, ne quod ipſius eſt, noſtris viribus aut conſilijs attribuamus. Sed vt quiſq; dicat, Nunc cognoui quòd DOMINVS ſaluum fecit Regem, quòd DOMINVS liberauit exercitum noſtrum, quòd DEVS profligauit hoſtes terra & mari. &c. Ita enim fiet, vt dum perpetuò beneficia Dei ante conſpectum noſtrum ſtatuuntur: Carnis ſapientia, quæ ſubinde in negocijs criſtas erigere ſolet, retundatur, & Dei virtus inter nos innoteſcat & celebretur.

AMEN.

Con-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

CONCIO TERTIÆ Diei.

TEXTVS.

7. Hi in curribus & hi in equis, nos autem nominis Domini Dei noſtri recordabimur.

8. Illi proſtrati ſunt & ceciderũt, nos autem ſurreximus & erecti ſumus.

9. Domine ſerua, Rex exaudiet nos in die qua inuocauerimus eum.

EXORDIVM.

LÆticiam ſuam & conſolationem Populus Dei hactenus expreßit, quam ex fiducia in Deum & inuocatione nominis diuini conceperat, certò perſuaſus fœlicem fore, Deo propugnatore, omnium periculorum finem. Nunc in hac tertia Pſalmi parte, Reprehenſionem ſubiungit fiduciæ huma-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

narum virium, quæ ad potentiam Dei collatæ, nullius ſunt momenti: deinde precationis repetitione Pſalmum concludit.

LOCI TRES.

PRIMVS locus eſt, Collatio fiduciæ humanorum præſidiorum & diuinæ potentiæ.

SECVNDVS eſt vtriuſq; effectus.

TERTIVS eſt precationis repetitio.

DE PRIMO.

In hac collatione, primùm fiducia carnis hypotypoſi quadam depingitur, & oſtenditur Curruum & Equorum appellatione, impios terrena duntaxat ſpectare præſidia, atq; in ijs omnem ſpem & fiduciam collocare. Terrena præſidia ſunt, Principum auxilia,

lia, auri & argenti immenſa vis, Machinæ bellicæ, inſtructæ claſſes & copiæ, robur militum, multitudo equorum, propugnacula, ſtratagemata. &c Horum omnium fiducia taxatur. Quia Deum negligit, ut Aſa deflectens ad præſidium Regis Syriæ, Deum neglexit: 2. Paralip: 16. Deumq; blaſphemat, & de viribus humanis cum contemptu Dei gloriatur, vt Sennacherib Rex Aſſyriorum oppugnaturus Ieruſalem, in Deum blaſphemus fuit. 2. Paralip: 32.

At econtra fiducia Dei & diuinorum præſidiorum commendatur, dum inquit Populus, NOS AVTEM NOMINIS DOMINI DEI NOSTRI RECORDABIMVR. Fideles enim cùm aduerſus hoſtes ſuos pugnant, ſemper ſibi ob oculos Deum ipſum ſtatuunt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

unt, ipſius promiſsionibus ſe ſuſtentant, Exemplis mirabilium liberationum & victoriarum ſe ſolantur: meditatione verbi, inuocatione, confeſsione, gratiarum actione ſeſe muniunt: ita vt ſi exercitus inſtructus ad manum ſit, à ſola tamen gratia Dei pendeant. Si copijs deſtituantur, ab ea non deficiant, Sed diuinæ voluntati intrepidè ſe committant. Exempla hîc in memoriam reuocanda ſunt.

Vide Exodi, 17. De oratione Moſis, cuius mentio fit, Iudith, 4. vbi dicitur. Memento quomodo Moſes potius precibus ſanctis orando deuicit Amalech, non ferro pugnando.

Lege quid Dauid dixerit dum aduerſus Goliath pugnaret. 1. Reg: 17.

Obſerua quid dixerit Rex Abia ante conflictum cum hoſte Ieroboam. 2. Paralip: 13.

Vide

Vide quo pacto Dominum inuocarit Rex Aſa dimicaturus cum copijs Æthiopum. 2. Paralip: 14.

Lege Concionem Ezechiæ, quam habebat ad Populum cum pugnaturus eſſet aduerſus Sennacherib. 2. Paralip: 32.

Vide orationem Ioſaphat 2. Paralip: 20.

Vide 1. Mac: 4. 7. &c.

Sed hic quæri poteſt, liceat ne pijs copias inſtruere, machinis bellicis vti, præſidia ſibi aduerſus hoſtes parare? Reſpondeo. Vſus harum rerum non reijcitur, Sed damnatur fiducia. Creaturis vſus, creatori verò fiducia deputetur.

DE SECVNDO.

Effectus fiduciæ carnis & fiduciæ Dei pulcherrimè his verbis deſcri-

ſcribitur, IPSI PROSTRA-
TI SVNT ET CECIDE-
RVNT, NOS AVTEM SVR-
REXIMVS ET ERECTI
SVMVS. Quia namq; præſidia hu-
mana prorſus ficulnea ſunt, Domino
repugnante ſubſiſtere non poßunt.
Tametſi autem ijs confiſi ad tem-
pus ſeſe efferunt & ferociunt homi-
nes: tamen Euentus docet longè fir-
mius & tutius eſſe in Deo confide-
re, ipſiusq; defenſione potius q̃ huma-
nis viribus niti. Eſt itaq; hominum
ſuis viribus confidentium vita, plena
ſuperbia, contemptu DEI, defiden-
tia, pauoribus: Exitus autem miſe-
rabilis & infœlix.

Sic Pſal: 33: Non ſaluatur Rex
per multam virtutem, & gigas non
ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ
&c.

Item

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Item Eſaiæ, 31. Væ qui deſcendũt in Ægiptum ad auxilium, in equis ſperantes.

Et Ieremiæ, 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.

Sic Ieremiæ, 48. ad Moab. Quia habuiſti fiduciam in munitionibus tuis, & in theſauris tuis, tu quoq; capieris.

At econtrà Pij qui in Domino confidunt, etiamſi videantur nonnunq̃ premi: tamen eriguntur, & verè ſentiunt præſentiam Dei ipſiusq; admirandas liberationes in ſummis anguſtijs, non franguntur duris euentibus, Sed conſtanter ſe Domino commendant in quacunq; fortuna: quemadmodum multi Scripturæ loci, multaq; Exempla docent, quæ hûc referenda ſunt &c.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Oſtendit autem Deus ſæpè deficientibus externis præſidijs ſuam potentiam.

1. Vt confundat humanam ſapientiam, & rerum terrenarum fiduciam.

2. Vt Sathanæ inſidias perturbet, quibus vtitur ad opprimendam Eccleſiam.

3. Vt pios à ſuperbia & confidentia humanorum præſidiorum conſeruet.

4. Vt ipſos in fide inuocatione & vera pietate retineat.

5. Vt ſuum eſſe regnum potentiam & gloriam oſtendat.

DE TERTIO.

Poſt hanc collationem precatione Pſalmum claudit, idq́, vt oſtendat indeſinenter pro perſeueranti ſalute orandum eſſe, ac ſi diceret: Sicut iam,

ô De-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

ó Deus, Saluaſti & exaudiſti nos, ita fac vt ſemper, & quacunq; die inuocauerimus, ſalues & exaudias.

Et diſertè Deum hîc REGEM nominat.

1. Vt admoneantur REGES ſe vices Dei in terris gerere, & ab eo qui REX Regum eſt, omnem opem & auxilium expetere debere.

2. Vt admoneantur SVBDITI, amoris reuerentiæ & obedientiæ erga Regem, vtq; ad orandum pro Rege accendantur, per quem ipſe Deus liberationem pacem & tranquillitatem concedit.

Oremus itaq; toto pectore, Exaudiat Regem noſtrum Dominus, protegat ipſum nomen Dei Iacob, mittat ipſi auxilium, ipſum ſaluum faciat. &c.

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

En Chriſtelig Bøn / dagligen at bede i denne farlige Krig.

H. T.

O Alſommectigſte Euige HErre Gud / Himmelſke Fader / wi arme Syndere bekiende aff hiertet for dig / at wi met vore mangfoldige ondſkab / vgudelige leffnit oc groffue ſynder haffue gantſke vel fortient / icke aleniſte denne vduortis Krig oc andre timelige plager / men ocſaa din vrede / den euige Død oc fordømmelſe. Wi bede dig ydmygeligen O Naadige Fader / ver oſſ Naadig oc Barmhiertig / ſee icke til vore Synder oc miſgierninger / men til dit hellige Ord / oc din kiere Søn / du haffuer naadeligen loffuit oc met din Eed tilſagt oſſ / at du haffuer ingen behagelighed til nogen Synders Død oc forderffuelſſe / men at hand ſkal omuende ſig oc leffue / du haffuer ſend hid til Verden / din elſkelige Søn vor HERRE Jeſum Chriſtum / den ſande Fredſens Førſte / at kalde Syn[...]e til penitentze oc be[...]ig. Giff oſſ

oſſ O Herre G[illegible] din hellig [illegible]
re hierter / at wi kunde retteligen fortry-
de vore Synder/ oc tro Syndernis for-
ladelſe for Jeſu Chriſti ſkyld/ oc aluerlige
bedre vort ſyndige leffnit / oc i al vor nød
fortrøſte oſſ paa din Naade. O Herre
Gud hielp oſſ effter din gode Guddomme-
lige vilie/ oc lad oſſ icke forderffuis oc vn-
dertryckis i denne Krig aff vore Fiender/
giff vort Krigsfolck til Land oc Vand
din naade/ din velſignelſe/ beſkermelſe/ oc
ſeyeruinding/ beuar oſſ fra Blodſtørtning
oc blodgerige Menniſkis onde anſlag.
O Herre Gud forſkaffe ocſaa rette middel
oc Orſage til at giøre ende paa denne krig/
oc opretteen god nyttig beſtandig Fred/
at din vredis Riſſ ſom wi met vore ſynder
vel fortient haffue / maatte ſaa naadeli-
[illegible]en bortt[illegible]gis / oc at wi kunde leffue it ro-
ligt oc fredſommeligt leffnit/ i al Gudelig-
[illegible]d oc erlighed/ Oc priſe dig vor kiere Him-
elſke Fader met din Søn oc den hellig
Aand at vere en Almectig ſandru oc
[illegible]rmhiertig Gud/ fra euighed oc
til euighed/ Amen.



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°

Eget BB 1988

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 311 8°